*Q. D. B. V!*

# IVONIAS,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

*publice consideratus*

*a*

IOANNE HAVBOLDO KIRCHBACH,

15. Mai. A. cIↃ IↃc LXXII.

*In Auditorio Maiori.*

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

---

Disputatio XXXIII.

*LIPSIAE*, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↃ IↃc XCIIX.



I.

QVanqvam institueram referre de Moldavorum * rebus universe, iamqve materia creverat sub manu; tamen recessi ab instituto qvod crederem, opportunius fore, si partem mihi seligerem illius historiae, in qva sigillatim bello enituit strenuus, idemqve varii ingenii bellator IVONIAS.

* *Horum, sive ut vocantur, Valachorum origines solicite eruit Io. Leunclavius Pand. Hist. Turc. p. 146. eaqve studii parte vincit Episcopum Nucerinum P. Iovium et Sebastianum Munsterum. Adiungi possunt Aeneas Sylvius, Antonius Bonfinius rer. Vng. l. 1. decad. 1. qvi Moldavos, qvasi molles Davos, id est, Dacos censet appellatos: item Martinus Cromerus rer. Pol. l. XII. p. 216. De G. Hornio miror, qvod, dum excuteret origines Valachorum, non excusserit una autores fide insigniores: Hist. Imp. p. 340. Sed is dum incertos secutus duces est, deflexit in lubrica fabularum. Qvod alioqvi pertinet ad Moldaviam maiorem et minorem, vid. exqvisitae eruditionis Vir Io. Christoph. Becmanus Hist. Geog. p. 136. 137. Ad Montaninam ac Transalpinam, praeter accuratiores terrae mensores, nominabo autores Bonfinium, et Gorecium. Si qvid insuper inter Moldavos Valachosqve discriminis est, non deerit Cromerus. Ceterum hodierna consvetudine etiam Moesorum nomine veniunt. Thuanus Hist. l. XVII. A. 1556. olim pro parte Getarum habitos fuisse, opinatur Bonfinius. Alii veteribus Dacis vindicant.*

II.

De sorte nascendi non suppetunt multa: nec facile scio, consilio id principis, an negligentiae scriptorum tribuam. Mihi sufficit, extare in eo vestigia Moldavicae stirpis,* unde iam olim et viri insignes, et Duces bellorum usu periti adoleverunt.

* *Qvod stirpis interest, certos de ea nos reddunt scriptores rerum Moldavicarum, atqve ex his omnium evidentissime Leonhardus Gorecius, Eqves Polonus, literis aeqve ac armis clarus, in bell. Ivon. p. 24. is tra-*

*dit, ex antiqvis Valachiae regulis ortum esse. Thuanus nescio qvo autore nixus scribit, ipsummet Ivoniam dictitasse se nothum Stephani Valachorum Palatini. Qvod patriam spectat et nativitatis locum, res valde ambigua est, eamqve litem nunc non attinet expedire. Sunt, qvi in Polonia natum putent: reperiuntur etiam, qvi in Masovia editum credant in lucem. Vid. Gorecius, et post eum Thuanus H. l. LIIX. Causas enim habeo, cur scriptores ferme domesticos inspici ante exteros velim, praesertim, qvum hi illis sua ferant accepta.*

III.

Noscitur factis suis noster, * et qvod forte imaginibus deest, id omne supplevit vigor militaris.

* *Vulgo nominant Ioannem Valachum, nec absurde, et lingva Moldavorum convenienter. Alius adeo est a Iacobo Valacho, cuius meminit Thuanus H. l. XXXIIX. ad A. 1561. Noster enim si ab insigniori eventu aestimetur, memoratur ad A. 1574. David Chytraeus hic turbat nonnihil seriem Moldaviae regulorum, in Valach. p. mih. 31. Ivoniae res gestas composuerunt ex professo Bartholomaeus Paprocius, ab industria nobis commendatissimus, et qvi hunc seqvitur praedictus Leonhardus Gorecius, fide et diligentia illi proximus. Praeterqve hunc Ioannes Lasicius in hist. ingress. Pol. in Valach.*

IV.

Animus gloriae avidus fuit, corpus statura eximium, vultus decore virili gravis, membra innato robore firma memorantur. * cetera ad militarem habitum comparata, manu et armis promptum indicarunt.

* *Supplendus hic ex Gorecio Thuanus est, qvi ingenium descripsisse contentus, de corpore viribusqve silet. Ille vere sigillatim perseqvitur utrumqve, Vegetii memor, qvi et ingenium, et vires in milite pensitandas, autor est: de re militari l. 1. c. 2. et c. 6. Hodieqve Turcae insistunt huic praecepto, qvi dum legunt praetorianos, corporis vel maximam rationem habent, ut prodidit Ricautius. De veteribus Scythis id notius est, qvam ut dici egeat.*

V.

Priusqvam vero ad iusti maturiqve Ducis famam contenderet, sive mora, sive ratione altiores impetus sedavit, animumqve applicavit ad mercaturam. * His rebus et aditum ha-

habuit ad proceres Sultani insigniores, et ingenia eorum penitus exploravit, et consilia spectavit ex propinqvo. Donec speciosis artibus se insinuaret in Selymi ** Turcarum Imperatoris familiaritatem, ac mox sui dissimilis, ex mercatore evaderet regulus *** Valachorum.

* *Olim apud Romanos Sarmatasqve ab aratro acciti, qvi gererent summos magistratus. Nunc mira conversione apud Valachos evocantur ex taberna institorum, qvi regulorum obeant munus. Neqve id prorsus insolens putabimus, qvi sciamus, extitisse negotiatores apud Belgas, a commerciis maritimis subductos ad clavum navalis rei.*

** *Qvi calculum ponunt, facile observant, Selymum II. fuisse, capta Cypro, et praeliis in Ionio mari commissis celebratum, qvo vid. Petrus Pizarrus de bell. Cyp. Leunclavius, Thuanus, aliiqve.*

*** *Regulus, scribo: haud enim facile est asseqvi, an, prout usus legem facit, recte scribatur Palatinus, sive qvod significatione respondet Vaivoda. Namqve compertum est, Graecorum aemulatione despotas dici maluisse, qvam Vaivodas. Forte ut indicium esset, dominatus nulla parendi lege adstricti, qvem vulgo absolutum vocant. Eo vid. Leunclav. pand. Turc. cap. 71. et ex eo Zach. Theobaldus bell. Huss. ad A. 1442. Hodie rudera qvaedam affectati nominis conservant, titulo Hospodar appellati, imagine saltem amplissimae dignitatis, iubendi vero decernendiqve potestate adempta. Cuius tam foedae servitutis, in qvam despotae isti redacti sunt, indignationem nec sub hoc tempus dissimulare potuit Hünkel, ancipitis inter fidem et rebellionem animi despota, in tantum commotus, ut ambiat Viesnovicii patrocinium, postliminio, si per fortunam et vires liceret, in veterem clientelam rediturus, eierato obseqvio Turcarum. Qvod si impleri eventu posset, plurimum proficeret Christianorum rebus, maxime Polonorum. Idqve partim ob premendos ex propinqvo Turcas, et alendos in hostico exercitus, partim ob transitum eorum per Danubii pontes impediendum. Et forte in ipsa Graecia non essent tuti, si Valachiam concordibus studiis recuperaremus.*

VI.

Sed non qvanta crescendi felicitas, tanta succedendi iustitia fuit. Namqve omne praesidium habuit in calliditate, et qvod praecipue dixerim, in opportunitate rerum, qvum sciret, Selymum * nullas, neqve iniqvissimas comparandae

pecuniae rationes aspernari, qvo haberet, unde reficeret classem, et stipendia persolveret suis. Itaqve occasione usus, praefectos pecunia, Sultanum officiis et largitionibus sibi devinxit, arbitratus, hanc unam esse expeditam ad dominatum viam. Neqve illa opinio Ivoniam fefellit, vel maxime ideo, qvod Selymi animus iamdiu ante multis offensionibus a Bogdano ** antecessore alienatus esset: tum qvod perspectum haberet, non innocentia, sed muneribus parari amicitiam Turcarum.

* *Avaritia Selymi exploratissima est: Gorec. Bell. Ivon. p. 28. Cuius cum cepisset oblivio Ivoniam, ingens malum sibi accersivit, excandefacto Selymo ob legatos sine muneribus dimissos. Id. p. 46. Qvanqvam enim ipsi, dum se pro libero gerebat, consensione gentium licebat iure legationis militaris, tamen hic prudentiae legi aliqvid dandum fuerat, praesertim qvod ipsi res esset cum potentiori hoste. At haec fata hominum sunt, cum sui obliviscuntur, proxime ab exitio absunt.*

** *Bogdanus Alexandri Valachorum Palatini filius, Princeps nullius culpae scelerisqve conscientia, ab animo minime illiberali celebratur, qvem et invidia popularium, et ambitio Ivoniae deiecerunt, cetera innoxium. Prima mali causa fuit, qvod Polonos magis comiter haberet, ac Valachos suos. Propterea hi irritati, ut olim Macedones adversus Alexandrum, artes repererunt, qvibus opprimeretur velut omnis comitatis domesticae oblitus. Creverunt indies odia, iamqve universi insurgere coeperant. Selymus studium in Polonos pro consilio rebellionis habuit, inprimis, qvod se inscio inconsultoqve foedus iniisset cum Polonorum Rege, Ivonias auxit suspiciones, et sumpta obtrectandi ansa exaggeravit nefas, inde qvid ex occasione agendum esset, observavit. Nec defuit consilio prosperior exitus, Bogdano in Russiam profecto. Autor belli Ivon. p. 19. 20. 21. et seq. Attendite animum, Principes. Tribuite aliqvid amicitiae exterorum, sed praeferte indigenas, et date his locum, qvem dedit conditio nascendi et virtus. Asciscite Germani Germanos, et suos qvisqve fovete: nullum certius vobis fidei vinculum, nullum tutius munimentum erit. Huc vid. anonymus Gallus de regn. ed. A. 1577. theorem. 3. Simul et prudenter agite cum civibus, qvorum novistis obseqvium anceps et studia diversa. Erit vobis exemplo Bogdanus, cuius absentia extitit potissima causa amittendi Valachiae Palatinatus. Erit novissime Carolus*

*rolus I. Angliae Rex qui si Tiberium imitatus, non deseruisset Londinum, Principem regni sedem, et caput Britannicarum rerum, felicius eluctari potuisset ex funestissimis turbis. Qvod argumentum eleganter persequitur Im. Hof. Historiam condidit Bateus in Elench. mot. Anglic.*

VII.

Hinc a caliditate ad fraudes, * a fraudibus ad impietatem sola dominandi libidine abreptus est. Bogdano, ut modo traditum, immane Sultani odium excitavit, ac ne qvid iniuriae deesset, audacissime affirmavit, partibus hostium studere. Nec satis id nostro ad promerendam Turcae gratiam erat. Etiam tanti dominatus spes religionis ** dispendio constabat.

* *Non iure, sed fuco et fallaciis obtinuit Palatinatum Ivonias. Atqve id qvidem de iure successionis expeditum est. Tametsi enim eius origo referatur ad ultimos Valachorum regulos, nunc tamen nullum huius momentum erat, qvod iamdudum Ivoniae maiores Iure atqve possessione Palatinatus excidissent. Si qvaestio sit, an iure exciderint, cogitandum, veteres controversias partium patientia et temporis diuturnitate sopitas non esse denuo excitandas. Alb. Gentilis de Iur. bell. lib. I. cap. 22. Si potestas Sultani, sive ut Domini beneficiarii, sive ut Domini clientelae obtendatur, et qvae inde porro qvasi ex scaturigine dimanat, libera electio exaggeretur, iterum disceptatio erit, legitima electio fuerit, nec ne? Et utrum non peracta sit contra instituta Valachorum, qvod qvidem colligere est ex iis, qvae Io Leunclavius habet supplement. Ann. Turc. pag. 73. Accedit, qvod Principes, qvum semel inauguraverint sibi beneficiaria lege obnoxios, citra iniuriam eos non possint a parto iure dimovere, si nil admiserint beneficiarii ac clientium fide devincti, propter qvod dimoveantur. At qvid admiserat Bogdanus? Suspiciones colligebantur; sed has diluere paratus erat: criminationes adferebantur, sed et has refellere in animo habebat. Verum enimvero non audiebatur Bogdanus, sed indicta causa, et qvidem absens movebatur loco: qvicqvid etiam huius sit, nulla dubitatio est, Ivoniam fraude et dolo impetrasse Palatinatus dignitatem. Historia repetatur ex scriptore belli Ivoniae: Iudicium civile addatur qvasi condimentum.*

** *Initio Graecorum sacris initiatum fuisse, colligamus licet ex religione Valachorum, qva colitur ritu Graeco, de qva annotarunt Cromerus rer. Pol. l. 12. p. 216. et Edoardus Brerevvod, scrut. relig. cap.*

*cap. 6. p. mih. 138. Autor bell. Ivon. ex hac causa animum eius velut impietate efferatum notat. Nempe adeo praeceps turbidusqve dominandi affectus est, ut, qvos lacessit, aut corrumpat incautos, aut non obnitentes subvertat. Qvanto melius olim sentiebant Romani, apud qvos religio publica privatis affectibus antecellebat, Florus Hist. Rom. L. 1 cap. 13. Ceteroqvin imitantur Ivoniam hodierni Cosaci, praesertim qvi sunt partium Doroszenki, qvibus religio saepenumero ludus est, nisi forte instrumentum est ditescendi ac virium augendarum. Ipse Doroszenkus Graecorum religioni initiatus, qvam non pronus nuper fuit flecti in barbarae gentis sacrum! De Cosacorum motibus horumqve causis nil addo: alienum enim hoc loco est, et iamdudum id executus luculenter est Paulus Piasecius.*

VIII.

Non audebat obsistere Bogdanus, perfidia barbarorum circumventus, et hosti adeo animis opibusqve vigenti impar. Ergo adsciscitur Ivonias, * et muneri, qvod Bogdanus gesserat, imponitur, ac inter festas Valachorum Turcarumqve acclamationes renunciatur Valachiae Palatinus. Sed ut vehemens inqvietumqve Ivoniae ingenium erat, non multo post in gravissimas incidit calamitates, ac parvo temporis momento res maximas, principatum iuxta et vitam amisit. ** Eo usqve humana consilia nec opinantes frustrantur, et mille saepe casibus contra, qvam destinamus, involvuntur.

* *Scriptor belli Ivon. p. 25. memorat, Ivoniam prolixo Turcarum comitatu in Valachiam venisse, ac ut Bogdanum ingeniose deciperet, habitu mercatoris incessisse, vafroqve consilio consilium occupandi Palatinatus texisse. Qvod satis felici eventu comprobatum, adactis in Verba Ivoniae Valachis, et haud dubie, ut gens illa facile affectibus rapitur, novum regulum cum plausu atqve gratulatione excipientibus: qvod vehementissime odissent Bogdanum, ac prospera atqve felicia cuncta sperarent sub recens creato Palatino. Nec facile qvis negaverit, Turcas simili incitatos exemplo, altis, ut solent, vocibus, si grata sibi atqve utilia evenerint, fausta ominatos esse: hoc magis, qvod liberalitate et vitae qvodam Turcis consentiente decoro plurimum gratiae atqve existimationis apud eos adeptus fuisset noster.*

** *De hoc exitu recensebimus infra.*

IX.

## IX.

Sed metu ſolutus erat Ivonias, qvippe Sultani gratia, et popularium ſtudiis ſubnixus. At cum ita exiſtimaret, mox ſpe deceptum ſe ſenſit, et Sultani, ad qvem tradendi Palatinatus iura atqve auſpicia pertinebant, inſidias dolôsqve intellexit. Mittebat is legatum, qvi aut poſceret tributum plus duplo auctum, * aut denunciaret, principatu abeundum eſſe, et alii, qvi pendere imperatum vectigal vellet, faciendum ſuccedendi locum. Ivonias priſtinae ſortis beneficiiqve accepti immemor, poſtulati indignitatem oſtendit ſuis, et recuperandae libertatis ſtudium offert. Aſſentiuntur Valachi, et propoſitum Ivoniae laudant, ac in pleno ſenatu pro eo ſuffragia ferunt, rati, hoc auſpicatum tempus eſſe, qvo avaritiae atqve libidini Turcarum eripiantur. Sic legatus repulſam paſſus, a gente pertinaciſſima, atqve exitii ſui ignara diſceſſit, renunciaturus Sultano, Valachos autore Ivonia moliri res novas.

* *Duplam penſionem commemorat Thuanus ad An. 1574. Addit huic numero aliqvid ſcriptor belli Ivon. pag. 28. 29. et 31. ac tributum duplo maius exegiſſe Selymum ſcribit, cuius auctoritati nunc ſtamus. Qvanqvam pauci ipſius meminerunt, nec ille, qvi noviſſime de hiſtoricis Latinis ſpicilegium edidit, Ioannes Hallervordus. Allegat Zeilerus eius Hiſtoriam Valachicam, Baſileae A. 1588. vulgatam: ſed qvod recordari liceat, illa hactenus non occurrit: occurrit autem Francofurtenſis ad dictum annum 1578. ex officin. VVechelian. Neqve vero hic praetermittendum duxerim manifeſtae ultionis exemplum. Primo Ivonias Bogdano, mox Ivoniae regulus Valachiae Tranſalpinae inſidias ſtruxit, ſcript. bell. Ivon. p. 27. 28. Nempe interdum puncto temporis intercidit, cuius fructum diuturnum ſperamus. Sed ita proviſum certa Dei lege eſt, ut fraudes fraudibus vindicentur, et qvibus qvaeqve modis parantur, iis ipſa viciſſim amittantur. Tum ab aemulo calumniis petebatur Ivonias, ut iram Selymi accenderet magis. Hocqve dum agebatur, iterum par pari reddebatur. Adhaec referebatur de aſtu eius, et cogitata ad Sarmatas defectione, ut primum ipſi data facultas foret. Praeterea eius inconſtantia, et iniqvitas, et perfidia al-*

*legabantur, atqve hoc tanto enixius, qvod reausset ad pristina Christianorum sacra. Scilicet erant fallendi artes nostro, qvibus elaberetur, si persolveret tributum duplo maius, si donis honoraret Selymum, si conciliaret purpuratos, si comiter haberet legatos, si memor clientelae obseqvium pertinaciae, si pacem bello praeferret, si deniqve retineret Mahomedis ritus. Sed nulla iam neqve solertia, nec fraudes valebant: ambitio omne salutare consilium avertit, ipsumqve in rebellandi studio confirmavit, unde et Dei ultoris ira, qvod in antecessorem peccasset, et benignitas apparet: qvod in hac conversione fortunae nuncium misisset cultui Mahomedis, cui se paulo ante addixerat, ut Selymi gratiam captaret. At qvi ferme hic laudo Selymum, qvanqvam alias barbarum, tamen in iudicando consideratum. Namqve multo melius pronunciabat in causa Ivoniae, qvam Bogdani: qvandoqvidem tot calumniis lacessito, fidem patrocinii sui dabat, si faceret officium clientis, et penderet vectigal. Verba Selymi, qvae per interpretem indicari Ivoniae iusserat, literis mandavit Leonhardus Gorecius, Hist. Valach. p. 29. Formula haec fuit:* Selymus memor constantiae, virtutis, fidei tuae, non vult tibi in imperio *(beneficii ac clientelae lege devincto)* Valachiae molestus, si id tributum qvamprimum mittes, esse. *Verum enimvero ut qvisqve agit, ita sortitur exitum, ambitiosi ruunt, moderati conservantur. Adeo verum est, qvod prodidit Polybius, scriptor prudentia et iudicio maximus l. VI Hist. Fortunam saepe, dum adhuc vigeat, prosperiorqve futura censeatur, contrarias vel momento vices experiri.*

X.

Hoc rerum statu Selymus, qvomodo Ivoniae factionem opprimeret, velut ira pudoreqve excitatus assidue cogitabat. Cumqve suo ductu experiri nollet * bello, regulum Valachiae Transalpinae ** in vindictam Ivoniae excivit, eiqve conficiendae huius rei curam mandavit, ipse arma, vires auxilia, et qvicqvid in tempore paratum promptumqve habebat, suppeditavit. *** Nec vanum Selymi consilium fuit, nec citra vincendi omen. Nam et Tansalpino opportunior ad invadendum hostem aditus erat, et itinerum, qvibus falleret, rationes exacte tenebat, et propter

vetus

vetus Ivoniae odium impatiens morae, eoqve cupidissimus ultionis videbatur.

* *Forte qvis existimet, Selymum ob varias rerum difficultates Transalpinum Valachum Turcicis copiis cum summo Imperio praefecisse. At vero is se servabat gloriosiori hosti, et Ivoniam in tantum despiciebat, ut nollet in rebelli obsolescere gloriam suam: idqve partim propter alios Principes, partim propter opinionem, qva ipsi res magnae constabant, apud Turcas retinendam. Et qvam securus fuerit Selymus, vel ex eo intelligamus, qvod Transalpino praecepisset, captivum duceret Ivoniam, Moldaviamqve Petro Fratri auspicio suo regendam traderet. Script. bell. Ivon. p. 46. Sed brevi illum poenituit tantae fiduciae, ut metus qvoqve eum incesseret Valachiae, Graeciaeqvae amittendae. Id. p. 61. qvod documento est, prudentes attentosqve principes nil hostile infra curas suas ducere oportere. Multum enim sibi vindicat in rebus humanis fortuna, et securitas saepe iis aufert, qvod tempestiva industria praesentiqve milite servaturi erant: sunt sane plurima exempla, qvae ostendant, ab exiguis initiis maxima pericula crevisse.*

* *Nec infestiorem Ivoniae hostem optare Selymus, nec acriorem reperire potuisset. De causa belli tradere, non est arduum, si, ut res gestae sunt, recte teneamus. Qvippe Selymi arma iusta erant atqve necessaria ad honoris iurisqve supremi Imperii nomine competentis defensionem. Reguli enim Valachorum, iudice Leunclavio, non multum distant a veteribus praesidibus provinciarum, praeterqvam qvod ordinarie continuentur, ac transeant ad heredes, si in fide et gratia Sultani perseverent. Ac qvum hoc forte non respondeat in solidum praefecturae Valachorum, satis tamen est, sacramento adactum fregisse fidem, et degenerasse ab officio beneficiarii civis, et nulla veterum meritorum conscientia repudiasse legatos Imperatoris atqve Domini sui, cui ex causa asperioris tributi non continuo esset movendum bellum. Cogitare debuisset, Palatinatus Valachicos Imperio herili subditos libertatem dudum amissam sperare qvidem, sed iure repetere non posse. Atqve id ante oculos sibi ponunt Principes Transylvanorum, dum inter minas metumqve Sultani agunt. Triste hic est recordari Georgii Ragotzi, Kemenyianos, infelicium Transylvaniae Principum, qvi pro nutu à Turcis deiecti sunt, relicta tamen ordinibus specie qvadam electionis, ac privilegiis nonnullis, sibi autem confirmandi iure atqve exauctorandi potestate reservata si Prin-*



I.

QVanqvam inſtitueram referre de Moldavorum * rebus univerſe, iamqve materia creverat ſub manu; tamen receſſi ab inſtituto qvod crederem, opportunius fore, ſi partem mihi feligerem illius hiſtoriae, in qva ſigillatim bello enituit ſtrenuus, idemqve varii ingenii bellator IVONIAS.

* *Horum, ſive ut vocantur, Valachorum origines ſolicite eruit Io. Leunclavius Pand. Hiſt. Turc. p. 146. eaqve ſtudii parte vincit Epiſcopum Nucerinum P. Iovium et Sebaſtianum Munſterum. Adiungi poſſunt Aeneas Sylvius, Antonius Bonfinius rer. Vng. l. 1. decad. 1. qvi Moldavos, qvaſi molles Davos, id eſt, Dacos cenſet appellatos: item Martinus Cromerus rer. Pol. l. XII. p. 216. De G. Hornio miror, qvod, dum excuteret origines Valachorum, non excuſſerit una autores fide inſigniores: Hiſt. Imp. p. 340. Sed is dum incertos ſecutus duces eſt, deflexit in lubrica fabularum. Qvod alioqvi pertinet ad Moldaviam maiorem et minorem, vid. exqviſitae eruditionis Vir Io. Chriſtoph. Becmanus Hiſt. Geog. p. 136. 137. Ad Montaninam ac Tranſalpinam, praeter accuratiores terrae menſores, nominabo autores Bonfinium, et Gorecium. Si qvid inſuper inter Moldavos Valachosqve diſcriminis eſt, non deerit Cromerus. Ceterum hodierna conſvetudine etiam Moeſorum nomine veniunt. Thuanus Hiſt. l. XVII. A. 1556. olim pro parte Getarum habitos fuiſſe, opinatur Bonfinius. Alii veteribus Dacis vindicant.*

II.

De ſorte naſcendi non ſuppetunt multa: nec facile ſcio, conſilio id principis, an negligentiae ſcriptorum tribuam. Mihi ſufficit, extare in eo veſtigia Moldavicae ſtirpis,* unde iam olim et viri inſignes, et Duces bellorum uſu periti adoleverunt.

* *Qvod ſtirpis intereſt, certos de ea nos reddunt ſcriptores rerum Moldavicarum, atqve ex his omnium evidentiſſime Leonhardus Gorecius, Eqves Polonus, literis aeqve ac armis clarus, in bell. Ivon. p. 24. is tradit,*

*dit, ex antiqvis Valachiae regulis ortum esse. Thuanus nescio qvo autore nixus scribit, ipsummet Ivoniam dictitasse se nothum Stephani Valachorum Palatini. Qvod patriam spectat et nativitatis locum, res valde ambigua est, eamqve litem nunc non attinet expedire. Sunt, qvi in Polonia natum putent: reperiuntur etiam, qvi in Masovia editum credant in lucem. Vid. Gorecius, et post eum Thuanus H. l. LIIX. Causas enim habeo, cur scriptores ferme domesticos inspici ante exteros velim, praesertim, qvum hi illis sua ferant accepta.*

III.

Noscitur factis suis noster, * et qvod forte imaginibus deest, id omne supplevit vigor militaris.

* *Vulgo nominant Ioannem Valachum, nec absurde, et lingva Moldavorum convenienter. Alius adeo est a Iacobo Valacho, cuius meminit Thuanus H. l. XXXIIX. ad A. 1561. Noster enim si ab insigniori eventu aestimetur, memoratur ad A. 1574. David Chytraeus hic turbat nonnihil seriem Moldaviae regulorum, in Valach. p. mih. 31. Ivoniae res gestas composuerunt ex professo Bartholomaeus Paprocius, ab industria nobis commendatissimus, et qvi hunc seqvitur praedictus Leonhardus Gorecius, fide et diligentia illi proximus. Praeterqve hunc Ioannes Lasicius in hist. ingress. Pol. in Valach.*

IV.

Animus gloriae avidus fuit, corpus statura eximium, vultus decore virili gravis, membra innato robore firma memorantur. * cetera ad militarem habitum comparata, manu et armis promptum indicarunt.

* *Supplendus hic ex Gorecio Thuanus est, qvi ingenium descripsisse contentus, de corpore viribusqve silet. Ille vere sigillatim perseqvitur utrumqve, Vegetii memor, qvi et ingenium, et vires in milite pensitandas, autor est: de re militari l. 1. c. 2. et c. 6. Hodieqve Turcae insistunt huic praecepto, qvi dum legunt praetorianos, corporis vel maximam rationem habent, ut prodidit Ricaultius. De veteribus Scythis id notius est, qvam ut dici egeat.*

V.

Priusqvam vero ad iusti maturiqve Ducis famam contenderet, sive mora, sive ratione altiores impetus sedavit, animumqve applicavit ad mercaturam. * His rebus et aditum

ha-

habuit ad proceres Sultani insigniores, et ingenia eorum penitus exploravit, et consilia spectavit ex propinqvo. Donec speciosis artibus se insinuaret in Selymi ** Turcarum Imperatoris familiaritatem, ac mox sui dissimilis, ex mercatore evaderet regulus *** Valachorum.

** Olim apud Romanos Sarmatasqve ab aratro acciti, qvi gererent summos magistratus. Nunc mira conversione apud Valachos evocantur ex taberna institorum, qvi regulorum obeant munus. Neqve id prorsus insolens putabimus, qvi sciamus, extitisse negotiatores apud Belgas, a commerciis maritimis subductos ad clavum navalis rei.*

*** Qvi calculum ponunt, facile observant, Selymum II. fuisse, capta Cypro, et praeliis in Ionio mari commissis celebratum, qvo vid. Petrus Pizarrus de bell. Cyp. Leunclavius, Thuanus, aliiqve.*

**** Regulus, scribo: haud enim facile est asseqvi, an, prout usus legem facit, recte scribatur Palatinus, sive qvod significatione respondet Vaivoda. Namqve compertum est, Graecorum aemulatione despotas dici maluisse, qvam Vaivodas. Forte ut indicium esset, dominatus nulla parendi lege adstricti, qvem vulgo absolutum vocant. Eo vid. Leunclav. pand. Turc. cap. 71. et ex eo Zach. Theobaldus bell. Huss. ad A. 1442. Hodie rudera qvaedam affectati nominis conservant, titulo Hospodar appellati, imagine saltem amplissimae dignitatis, iubendi vero decernendiqve potestate adempta. Cuius tam foedae servitutis, in qvam despotae isti redacti sunt, indignationem nec sub hoc tempus dissimulare potuit Hünkel, ancipitis inter fidem et rebellionem animi despota, in tantum commotus, ut ambiat Viesnovicii patrocinium, postliminio, si per fortunam et vires liceret, in veterem clientelam rediturus, eierato obseqvio Turcarum. Qvod si impleri eventu posset, plurimum proficeret Christianorum rebus, maxime Polonorum. Idqve partim ob premendos ex propinqvo Turcas, et alendos in hostico exercitus, partim ob transitum eorum per Danubii pontes impediendum. Et forte in ipsa Graecia non essent tuti, si Valachiam concordibus studiis recuperaremus.*

VI.

Sed non qvanta crescendi felicitas, tanta succedendi iustitia fuit. Namqve omne praesidium habuit in calliditate, et qvod praecipue dixerim, in opportunitate rerum, qvum sciret, Selymum * nullas, neqve iniqvissimas comparandae pe-

pecuniae rationes aſpernari, qvo haberet, unde reficeret claſſem, et ſtipendia perſolveret ſuis. Itaqve occaſione uſus, praefectos pecunia, Sultanum officiis et largitionibus ſibi devinxit, arbitratus, hanc unam eſſe expeditam ad dominatum viam. Neqve illa opinio Ivoniam fefellit, vel maxime ideo, qvod Selymi animus iamdiu ante multis offenſionibus a Bogdano ** anteceſſore alienatus eſſet: tum qvod perſpectum haberet, non innocentia, ſed muneribus parari amicitiam Turcarum.

* *Avaritia Selymi exploratiſſima eſt: Gorec. Bell. Ivon. p. 28. Cuius cum cepiſſet oblivio Ivoniam, ingens malum ſibi accerſivit, excandefacto Selymo ob legatos ſine muneribus dimiſſos. Id. p. 46. Qvanqvam enim ipſi, dum ſe pro libero gerebat, conſenſione gentium licebat iure legationis militaris, tamen hic prudentiae legi aliqvid dandum fuerat, praeſertim qvod ipſi res eſſet cum potentiori hoſte. At haec fata hominum ſunt, cum ſui obliviſcuntur, proxime ab exitio abſunt.*

** *Bogdanus Alexandri Valachorum Palatini filius, Princeps nullius culpae ſceleriſqve conſcientia, ab animo minime illiberali celebratur, qvem et invidia popularium, et ambitio Ivoniae deiecerunt, cetera innoxium. Prima mali cauſa fuit, qvod Polonos magis comiter haberet, ac Valachos ſuos. Propterea hi irritati, ut olim Macedones adverſus Alexandrum, artes repererunt, qvibus opprimeretur velut omnis comitatis domeſticae oblitus. Creverunt indies odia, iamqve univerſi inſurgere coeperant. Selymus ſtudium in Polonos pro conſilio rebellionis habuit, inprimis, qvod ſe inſcio inconſultoqve foedus iniiſſet cum Polonorum Rege, Ivonias auxit ſuſpiciones, et ſumpta obtrectandi anſa exaggeravit nefas, inde qvid ex occaſione agendum eſſet, obſervavit. Nec defuit conſilio proſperior exitus, Bogdano in Ruſſiam profecto. Autor belli Ivon. p. 19. 20. 21. et ſeq. Attendite animum, Principes. Tribuite aliqvid amicitiae exterorum, ſed praeferte indigenas, et date his locum, qvem dedit conditio naſcendi et virtus. Aſciſcite Germani Germanos, et ſuos qvisqve fovete: nullum certius vobis fidei vinculum, nullum tutius munimentum erit. Huc vid. anonymus Gallus de regn. ed. A. 1577. theorem. 3. Simul et prudenter agite cum civibus, qvorum noviſtis obſeqvium anceps et ſtudia diverſa. Erit vobis exemplo Bogdanus, cuius abſentia extitit potisſima cauſa amittendi Valachiae Palatinatus. Erit noviſſime Carolus*

rolus

*rolus I. Angliae Rex qvi si Tiberium imitatus, non deseruisset Londinum, Principem regni sedem, et caput Britannicarum rerum, felicius eluctari potuisset ex funestissimis turbis. Qvod argumentum eleganter persequitur Im. Hof. Historiam condidit Bateus in Elench. mot. Anglic.*

VII.

Hinc a caliditate ad fraudes, * a fraudibus ad impietatem sola dominandi libidine abreptus est. Bogdano, ut modo traditum, immane Sultani odium excitavit, ac ne qvid iniuriae deesset, audacissime affirmavit, partibus hostium studere. Nec satis id nostro ad promerendam Turcae gratiam erat. Etiam tanti dominatus spes religionis ** dispendio constabat.

* *Non iure, sed fuco et fallaciis obtinuit Palatinatum Ivonias. Atqve id qvidem de iure successionis expeditum est. Tametsi enim eius origo referatur ad ultimos Valachorum regulos, nunc tamen nullum huius momentum erat, qvod iamdudum Ivoniae maiores Iure atqve possessione Palatinatus excidissent. Si qvaestio sit, an iure exciderint, cogitandum, veteres controversias partium patientia et temporis diuturnitate sopitas non esse denuo excitandas. Alb. Gentilis de Iur. bell. lib. I. cap. 22. Si potestas Sultani, sive ut Domini beneficiarii, sive ut Domini clientelae obtendatur, et qvae inde porro qvasi ex scaturigine dimanat, libera electio exaggeretur, iterum disceptatio erit, legitima electio fuerit, nec ne? Et utrum non peracta sit contra instituta Valachorum, qvod qvidem colligere est ex iis, qvae Io Leunclavius habet supplement. Ann. Turc. pag. 73. Accedit, qvod Principes, qvum semel inauguraverint sibi beneficiaria lege obnoxios, citra iniuriam eos non possint a parto iure dimovere, si nil admiserint beneficiarii ac clientium fide devincti, propter qvod dimoveantur. At qvid admiserat Bogdanus? Suspiciones colligebantur; sed has diluere paratus erat: criminationes adferebantur, sed et has refellere in animo habebat. Verum enimvero non audiebatur Bogdanus, sed indicta causa, et qvidem absens movebatur loco: qvicqvid etiam huius sit, nulla dubitatio est, Ivoniam fraude et dolo impetrasse Palatinatus dignitatem. Historia repetatur ex scriptore belli Ivoniae: Iudicium civile addatur qvasi condimentum.*

** *Initio Graecorum sacris initiatum fuisse, colligamus licet ex religione Valachorum, qva colitur ritu Graeco, de qva annotarunt Cromerus rer. Pol. l. 12. p. 216. et Edoardus Brerevvod, scrut. relig. cap.*

## IX.

Sed metu ſolutus erat Ivonias, qvippe Sultani gratia, et popularium ſtudiis ſubnixus. At cum ita exiſtimaret, mox ſpe deceptum ſe ſenſit, et Sultani, ad qvem tradendi Palatinatus iura atqve auſpicia pertinebant, inſidias dolósqve intellexit. Mittebat is legatum, qvi aut poſceret tributum plus duplo auctum, * aut denunciaret, principatu abeundum eſſe, et alii, qvi pendere imperatum vectigal vellet, faciendum ſuccedendi locum. Ivonias priſtinae ſortis beneficiiqve accepti immemor, poſtulati indignitatem oſtendit ſuis, et recuperandae libertatis ſtudium offert. Aſſentiuntur Valachi, et propoſitum Ivoniae laudant, ac in pleno ſenatu pro eo ſuffragia ferunt, rati, hoc auſpicatum tempus eſſe, qvo avaritiae atqve libidini Turcarum eripiantur. Sic legatus repulſam paſſus, a gente pertinaciſſima, atqve exitii ſui ignara diſceſſit, renunciaturus Sultano, Valachos autore Ivonia moliri res novas.

* *Duplam penſionem commemorat Thuanus ad An. 1574. Addit huic numero aliqvid ſcriptor belli Ivon. pag. 28. 29. et 31. ac tributum duplo maius exegiſſe Selymum ſcribit, cuius auctoritati nunc ſtamus. Qvanqvam pauci ipſius meminerunt, nec ille, qvi noviſſime de hiſtoricis Latinis ſpicilegium edidit, Ioannes Hallervordus. Allegat Zeilerus eius Hiſtoriam Valachicam, Baſileae A. 1588. vulgatam: ſed qvod recordari liceat, illa hactenus non occurrit: occurrit autem Francofurtenſis ad dictum annum 1578. ex officin. VVechelian. Neqve vero hic praetermittendum duxerim manifeſtae ultionis exemplum. Primo Ivonias Bogdano, mox Ivoniae regulus Valachiae Tranſalpinae inſidias ſtruxit, ſcript. bell. Ivon. p. 27. 28. Nempe interdum puncto temporis intercidit, cuius fructum diuturnum ſperamus. Sed ita proviſum certa Dei lege eſt, ut fraudes fraudibus vindicentur, et qvibus qvaeqve modis parantur, iis ipſa viciſſim amittantur. Tum ab aemulo calumniis petebatur Ivonias, ut iram Selymi accenderet magis. Hocqve dum agebatur, iterum par pari reddebatur. Adhaec referebatur de aſtu eius, et cogitata ad Sarmatas defectione, ut primum ipſi data facultas foret. Praeterea eius inconſtantia, et iniqvitas, et perfidia al-*

*legabantur, atqve hoc tanto enixius, qvod rediisset ad pristina Christianorum sacra. Scilicet erant fallendi artes nostro, qvibus elaberetur, si persolveret tributum duplo maius, si donis honoraret Selymum, si conciliaret purpuratos, si comiter haberet legatos, si memor clientelae obseqvium pertinaciae, si pacem bello praeferret, si deniqve retineret Mahomedis ritus. Sed nulla iam neqve solertia, nec fraudes valebant: ambitio omne salutare consilium avertit, ipsumqve in rebellandi studio confirmavit, unde et Dei ultoris ira, qvod in antecessorem peccasset, et benignitas apparet: qvod in hac conversione fortunae nuncium misisset cultui Mahomedis, cui se paulo ante addixerat, ut Selymi gratiam captaret. At qvi fere hic laudo Selymum, qvanqvam alias barbarum, tamen in iudicando consideratum. Namqve multo melius pronunciabat in causa Ivoniae, qvam Bogdani: qvandoqvidem tot calumniis lacessito, fidem patrocinii sui dabat, si faceret officium clientis, et penderet vectigal. Verba Selymi, qvae per interpretem indicari Ivoniae iusserat, literis mandavit Leonhardus Gorecius, Hist. Valach. p. 29. Formula haec fuit:* Selymus memor constantiae, virtutis, fidei tuae, non vult tibi in imperio *(beneficii ac clientelae lege devincto)* Valachiae molestus, si id tributum qvamprimum mittes, esse. *Verum enimvero ut qvisqve agit, ita sortitur exitum, ambitiosi ruunt, moderati conservantur. Adeo verum est, qvod prodidit Polybius, scriptor prudentia et iudicio maximus l. VI Hist. Fortunam saepe, dum adhuc vigeat, prosperiorqve futura censeatur, contrarias vel momento vices experiri.*

X.

Hoc rerum statu Selymus, qvomodo Ivoniae factionem oppprimeret, velut ira pudoreqve excitatus assidue cogitabat. Cumqve suo ductu experiri nollet * bello, regulum Valachiae Transalpinae ** in vindictam Ivoniae excivit, eiqve conficiendae huius rei curam mandavit, ipse arma, vires auxilia, et qvicqvid in tempore paratum promptumqve habebat, suppeditavit. *** Nec vanum Selymi consilium fuit, nec citra vincendi omen. Nam et Tansalpino opportunior ad invadendum hostem aditus erat, et itinerum, qvibus falleret, rationes exacte tenebat, et propter

vetus

vetus Ivoniae odium impatiens morae, eoqve cupidissimus ultionis videbatur.

* *Forte qvis existimet, Selymum ob varias rerum difficultates Transalpinum Valachum Turcicis copiis cum summo Imperio praefecisse. At vero is se servabat gloriosiori hosti, et Ivoniam in tantum despiciebat, ut nollet in rebelli obsolescere gloriam suam: idqve partim propter alios Principes, partim propter opinionem, qva ipsi res magnae constabant, apud Turcas retinendam. Et qvam securus fuerit Selymus, vel ex eo intelligamus, qvod Transalpino praecepisset, captivum duceret Ivoniam, Moldaviamqve Petro Fratri auspicio suo regendam traderet. Script. bell. Ivon. p. 46. Sed brevi illum poenituit tantae fiduciae, ut metus qvoqve eum incesseret Valachiae, Graeciaeqvae amittendae. Id. p. 61. qvod documento est, prudentes attentosqve principes nil hostile infra curas suas ducere oportere. Multum enim sibi vindicat in rebus humanis fortuna, et securitas saepe iis aufert, qvod tempestiva industria praesentiqve milite servaturi erant: sunt sane plurima exempla, qvae ostendant, ab exiguis initiis maxima pericula crevisse.*

* *Nec infestiorem Ivoniae hostem optare Selymus, nec acriorem reperire potuisset. De causa belli tradere, non est arduum, si, ut res gestae sunt, recte teneamus. Qvippe Selymi arma iusta erant atqve necessaria ad honoris iurisqve supremi Imperii nomine competentis defensionem. Reguli enim Valachorum, iudice Leunclavio, non multum distant a veteribus praesidibus provinciarum, praeterqvam qvod ordinarie continuentur, at transeant ad heredes, si in fide et gratia Sultani perseverent. Ac qvum hoc forte non respondeat in solidum praefecturae Valachorum, satis tamen est, sacramento adactum fregisse fidem, et degenerasse ab officio beneficiarii civis, et nulla veterum meritorum conscientia repudiasse legatos Imperatoris atqve Domini sui, cui ex causa asperioris tributi non continuo esset movendum bellum. Cogitare debuisset, Palatinatus Valachicos Imperio herili subditos libertatem dudum amissam sperare qvidem, sed iure repetere non posse. Atqve id ante oculos sibi ponunt Principes Transylvanorum, dum inter minas metumqve Sultani agunt. Triste hic est recordari Georgii Ragotzi, Kemenyianos, infelicium Transylvaniae Principum, qvi pro nutu a Turcis deiecti sunt, relicta tamen ordinibus specie qvadam electionis, ac privilegiis nonnullis, sibi autem confirmandi iure atqve exauctorandi potestate reservata si Prin-*

B 2 ceps

*cept quid agat moliaturve contra beneficiarium iusiurandum. Huc conf. Dacia Io. Trosteri Transyluani.*

*** Numerus fuit septuaginta millium Valachorum Transalpinorum, et triginta millium Turcarum, duorumqve millium Hungarorum. Script. bell. Ivon. p. 46. 48. praecipue 78. ex responso speculatorum ab Ivonia interceptorum.*

**** Vera odii causa, qvod Petrum fratrem suum communi eorum vitio, qui nimis necessitudinibus indulgent, everso Ivonia, ad dignitatem Palatinatus evectum cuperet. Vid. script. bell. Iv. p. 46. ubi legas, consilio Palatini Valachiae ulterioris respondisse eventum.*

XI.

Nihilo segnius res suas ordinavit Ivonias, Valachosqve ad fortitudinem accendit, multa praefatus de libertate, qvae non deminuta hactenus, sed paene oppressa a barbaris esset. Igitur erigerent se et recte de proposito existimarent, animosqve caperent viris dignos, persvasi, auctore se victoriam reportaturos. *

** Extat Ivoniae concio ad Senatum Valachiae apud script. Hist. Val. p. 31 32. estqve ea non qvidem ingenii, sed spiritus militaris plena, et haud dubie plus audaciae, qvam prudentiae illa continetur. Nil ferme ingeminat, nisi odium servitutis: nec cogitat de eventu imminentium vicissitudinum: de parandis armis, de instruenda acie multus sermo est. At non aestimat suas vires, multo minus, cum qvo hoste res futura sit, hoc est, non cum regulo, qvalis ipse erat, sed cum potentissimo pertinacissimoqve imperatore, qvi ab Euphrate ad Danubium usqve tot gentium auxilia accire posset: Ipse vero a finitimis nec copias, nec pecuniam expectare audebat: Poloni qvietem, non bellum optabant: Henricus insuper Polonorum Rex foedere prohiberi se ad submittendum militem dicebat, script. bell. Ivon. p 36. Vnum in Cosacis praesidium collocabat, sed minime tanto hosti sustinendo suffecturum, vid. ib. pag. 37.*

XII.

Nil renuebant Valachi, populus alioqvi mobilis, et factionibus assvetus. Addebant fiduciam Cosaci, * Duce Suiercevio magnis itineribus a Borysthene, auxiliatum profecti.

fecti, iamqve cum Ivonia coniungere vires animosqve parati. Dici non poteſt, qvantus horum ardor, qvanta alacritas fuerit. Valachis ſalutem, ſibi praedas, hoſti clades mutua bellandi ſocietate paciſcebantur.

* *Duo hic tradenda ſunt, et nomen Coſacorum, et ingenium. De illo annotat Reinboldus Heidenſteinius denotare viarum latronem, rer. Pol. l. XII. de hoc praeter Piaſecium, idem teſtatur: poſt hoc perſonatus Marinius de ſcop.* Polon. *Io. Frid. Popping. Orb. illuſtrat. p. 393. et qvi noviſſime res belli ſtatumqve Polonici deſcripſit anonymus p. 147. ed. Norimb. A. 1666. Gens iſta, ſi ulla alia, praedarum ſtudioſiſſima eſt, temeritate, audacia, licentia immaniſſimos latrones imitatur. Olim Reipublicae Polonicae cives, nunc deſertores facti, auctore primum Chmielneczkyo, qvem A. 1649. proditorem patriae iudicatum accepimus. Hodie ſunt in clientela Turcarum, et Tataris iuncti foediſſimas ſaepe in Poloniam irruptiones faciunt. Qvanqvam in univerſum omnes nolunt teneri obſeqvio Turcarum, praeſertim Hanenkanae factionis, qvi non parum hactenus obſtiterunt conatibus Doroszenkanis. Loca, qvae incolunt, ſive paludoſa, ſive montana, eoqve fere inacceſſa ſunt. Olim cum Polonorum hoſtibus, nunc cum ipſis Polonis bella gerunt. Nec tamen inficias iverim, iam tum ſuperiori ſeculo indicia praecipitis licentiae prodidiſſe. Nam ut apud Gorecium eſt p. 38. inſcio Henrico Polonorum rege, perinde ac ſi iure ſuo regerentur, Valachis ſuppetias tulerunt. Idem obſervat Heidenſteinius, aetate Stephani regis erupiſſe proterviam gentis, qvod ſpreta reipublicae auctoritate, non legibus, ſed ſua libidine cuncta facerent. Noſtro tempore optamus, ut vario praecipitiqve ingenio abſiſtant, et redeant ad corporis ſocietatem, unde receſſerunt. Rex regniqve ordines hic Venetos imitabuntur, qvi ut Morlacos, ita ipſi Coſacos, ſi diligentiam adhibuerint, comitate et praemiis ad obſeqvium reducent.*

## XIII.

Nil Ivoniae reliqvum fortuna fecerat, qvam ut iuſto praelio periclitaretur incertae ſalutis eventum, et aut glorioſe vinceret aut ignominioſe moreretur. Res qvippe iam eo redierat, ut Turcae infeſtas cohortes immiſſuri, traiicerent Moldavam * amnem. Cuius adventus fama cum perferretur, ex improviſo caſtra hoſtis adortus, plurimos nil tale timentes op-

oppreſſit, reliqvos terrore late edito fugavit. ** Neqve eo ſecius exciti in auxilium Suiercevii velites fortiſſime excepe-runt Turcarum impetus, et non modo irruentes ſtrenue repulerunt, ſed etiam inſtaurandae pugnae intentos haſtis ſclopetisqve ita diſturbarunt, ut, qvum nec colligere ſe, nec reparare aciem poſſent, magno numero caderent, capti velut pecudes fruſtillatim concerperentur. His ex ſententia ge-ſtis, ſocii in Valachiam ulteriorem *** movent, urbesqve et oppida magna vi diripiunt, nullum vel foediſſimae cru-delitatis exemplum praetermittentes. Selymus accepto de hoſtium ſucceſſibus nuncio, ferme Graeciae timebat, **** ſupraeſentemqve vicem ita dolebat, ut ſimul cogitaret de fu-turis. Itaqve ſuos viribus èt ſupplementis auctos redire ad ſigna, et tranſire Danubium iubet. Nec moram facit Ivo-nias, accerſitqve Czarnieviecium caſtri Chocimienſis praefe-ctum, ***** ut in tanto gloriae victoriarumqve curſu ad-eſſet ſibi, et munus praefecti militaris obiret, unde et digni-tatem, et praemia, et praedas ampliſſimas adepturus eſſet. Venit Czarnieviecius, et ab eo tempore omnis fortuna de-ſtituit Ivoniam. Ille enim Turcarum pollicitationibus corru-ptus, primo tranſitum Danubii permiſit, mox contra datam fidem deſertor factus, hoſtibus ſe iunxit, copiae, qvas duxit ſive ſubita defectione perculſae, ſive viribus ſuis diffiſae, nec fugere, nec pugnare voluerunt. Hinc partim ab ho-ſtibus, partim a ſuis caeſae protritaeqve ſunt, ut ſanqvis toto campo manaret, cadaverumqve tumuli paſſim accumularen-tur. Iam ſera omnia remedia videbat noſter, conſilia vel ex deſperatione , vel ex deditione capienda erant, praeſertim qvum ſive coeleſti ultione excuſſi obſeqvii,ſive perturbatione qvadam ingenii caſtra ſua iniqviſſimo loco metaretur. ****** In ea rerum commutatione, Ivonias cum ſuos ſiti ſudoreqve confectos cerneret, neceſſitati ceſſit, certis conditionibus vi-tae incolumitatem ſibi ſuisqve pactus. Sed vix e caſtris ex-

ceſſe-

cesserat, cum Turcae iurisiurandi septies repetiti immemores,******* in obvios effusi, omnes Valachos funestissima caede confecerunt, Ivoniae caput praeciderunt, truncum bestiis obiecerunt, et qvasi honorem ac principale nomen qvietemqve non caperet, nulla venia dignum arbitrati, gladio expiandum nefas censuerunt.

* *Hinc Moldaviae nomen recte arcessitur. Oritur hic amnis ex Daciae montibus, et inde longius labitur, Moldaviamqve interluit. Vid. auct. Hist. Val. p. 11. et Thuan. A. 1574.*

** *Scriptor belli Ivon. p. 49. Faustum illud praelium exploratoribus debuit, qvi de rebus Turcarum percontati, nunciarunt idoneum tempus esse invadendi incautos. Erantqve isti periti Turcicae lingvae, et adeo ad dolum militarem instructiores. Mox et id erat e commodo Ivoniae, qvod emissi speculatores Turcarum captivi ducerentur. Vid. Id p. 47. 48.*

*** *Auct. Hist. Ivon. p. 49. 50. Soli evaserunt Palatinus Valachiae Transalpinae, et frater eius. Vt probe hi victores excesserint victorum modum, qvod postea a Turcis pari saevitia repensatum est. Gentes enim hae ut parum exculeae sunt ad humanitatem, ita belli iure saepe utuntur, cum non est ratio huius exercendi.*

**** *Qvam supra Transalpinam, nunc ulteriorem Valachiam dicimus, de qva multa industria tradidit Heidensteinius rer. Pol. l. XII. p. 359. Vnde cognitum pono, Valachiam citeriorem esse eam, cui regendae impositus fuit Ivoniat, ulteriorem ab illa Danubio discerni, et per qvandam loqvendi eminentiam dici Valachiam. Valachorum nomen ignorat antiqvitas, populus alioqvi sat vetustus, et olim, qvum coaluisset cum Imperio Romanorum, sive sub Dacis, sive sub Getis est comprehensus, qvem nobilitavit expeditio Imp. Traiani. Ab Imperio Germanico semper separatas rationes habuit: Siqve ad seqviora tempora perveniamus, Valachia primo Hungaria, deinde Turcis, mox per vices iterum Hungariae Poloniaeqve facta tributaria est. Thuan. ad A. 1574. Hodie utraqve solo Turcarum iure continetur regiturqve. Script. Hist. Valach. p. 61.*

***** *Nomen integrum, Ieremias Czarnaviecius Barcabalus. Auct. Hist. Val. p. 79. turpis sui Ducis proditor et transfuga, et mox a dolo ad perfidiam conversus, id. p. 84. 91. Antea fuit praefectus Chocimi, auct. hist. Val. p. 25. Alii Chocimium signant, ut Heidenstein rer. Pol. l. 12. si*

mu-

*munitum dicitur, scriptor bell. Ivon. id pro conditione munitionum illius loci intelligendum docet Heidensteinius.*

****** *Ivonias in extremo rerum discrimine non est functus officio boni Imperatoris, qvi vel maxime ex Vegetii praecepto in id intentus esse debet, ut castra metetur iis locis, qvibus aqvandi pabulandiqve copia est, in qva parte peccavit noster. script. bell. Iv. p. 100. et 104. eamqve circumstantiam praeterit Thuanus d. l. Alioqvi conf. ad rationes et instituta militaria Veg. l. 1. c. 21. Scip. Amirat. diss. Polit. ad Tac. l. 19. disc. 9.*

******* *Hinc accipe Turcarum animos, qvi aliqvando servant fidem, interdum violant: piget immorari exemplis. Neqve tamen diffiteri ausim id de rebellibus potissimum interpretari Turcas. At rebelles qvoqve, dum quaesito argumentorum colore se pro liberis gerunt, haud dubie pactorum promissorumqve iurato initorum sunt capaces. Quod non ita pridem in simili causa apud animum expendere debuisset, qvi adversus Reinkingium scripsit Laurentius a Dript. in antidecal. prop. 11. art. 5.*

